Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

pachumius. super his que sibi ostensa sunt. vehementer admirans
ad nocturnam sinaxim. cum universa fraternitate convenit. et officio
sancto solempniter adimpleto cuncti monachi iuxta consuetudinem
coram sene ad audiendum verbum domini constiterunt. Qui aperi
ens os suum dixit. Filioli mei. quantacumque est virtus vobis. atque
possibilitas pro salute vestra certate fortiter. et adversus armatum
hostem viriliter dimicate. priusquam veniat tempus in quo nosmet
ipsos si tamen inertes fuerimus ac desides miserabili lamenta
tione plangamus. Non negligamus dies nostros quos nobis
largitus est dominus. sed operemur in eis cum tota alacritate virtu
tem. Dico enim vobis. quoniam si sciretis quanta sanctis in celes
tibus bona parata sunt. et que tormenta maneant eis qui
virtutis itinere deviarunt. cognitaque veritate. non in
ea digne versantur. summis utique virtutibus eterna supplicia vitan
tes. hereditatem vestram beatam que dei famulis promissa est. festina
retis adipisci. quoniam nemo nisi malus ac perditus fugit. ac neg
ligit quia quid amittat penitus nescit. Quę miseria iamque
respicere oportet. et terrenis absolui cupiditatibus ut mala
preterita deflendo iugiter indulgentiam domini consequatur. et sic
ad meliora conversus iter suum dirigat. quatenus in exitu vi
te letus existens. ad celestem regem cum magna laude perve
niat. quando terrestre hoc habitaculum deserens anima
ad cognitionem sue substancie properat. quando celestibus
sociata virtutibus ad patrem luminum pervenire festinat.